

## **Dissertatio Theologica De Germine Jehovæ Et Davidis Christo Jesv**

Recvsa, [Erscheinungsort nicht ermittelbar]: [Verlag nicht ermittelbar], Anno MDCCXXXIV

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn873061535>

Druck Freier  Zugang






79

La-1092 (19.)

1. Jo. Georgii Hickii Amundlingus inter de fruis ubi nuptiis ad gittli.  
fud Nroster, in Jo. Merffins frucht gelaunen. Witteb. 1795.
2. Lud. Bernh. Kenner Castigationes in Pentateuchum Merckwürdiges  
Jan. Leipz 1787. m
3. Jon. Conr. Schraunius de spiritu Scti et anima mundi ad Gen 1.  
2. Halust. 1798.
4. Jo. Trischmuthus de seductione serpentis antiqui ad Gen III. Leipz Jan 1695.
5. Selenanni Andrea Picini serpentis ista antiquus seductus Gen III.  
1. Leipz 1686.
6. Jo. Vericus Steinkofers de pascua serpentis irragata ad Gen III. 14.  
19. Feb. 1796.
7. And. Jan. Habich hofius de fructibus Euse ad Gen III. 1. Feb. 1799.
8. Nicol. Skallerus de ritibus festi expiationum ad Leviticus XVII. Jan. 1799.
9. Henr. Klausigius de פתח פתח ad Gen XII. 6. 7. Leipz. 1797.
10. Jo. Christi Einigt de manu dextra honoratore ad Gen XLVII. 14. Leipz.  
1797.
11. Friedr. Lebrant Gypius de lxx palmis in Ecin repentis ad Exod  
XXVII. et Num XXII. 29. Leipz. 1794.
12. Paul. Schaffhausenius de hirsu Azazel ejusque ritibus a lege esse.  
ris ad Leviticus XVI. 7-10. Leipz. 1796.
13. Godfr. Christy Beckius de donis mortuis hanc offerendis ad Leviticus  
14. Leipz. 1797.
14. Joh. Gottfr. Lackenakeri commentatio in loca quaedam Gen III.  
Lithae. Halust. 1799.
15. Henr. Epistis de Crethi et Pethi Gen 1692 reungit 1684.
16. Jo. Leonh. Beckerbergens de fasciculo vicentium ad 4  
Lan XXV. 2. Gen 1799.
17. Conr. Friedr. Cobers de signa Eoba ad 2 Lan VII. 3. 14. Nibel 1792
18. Christ. Braunhardus de Hierosolymis Judaeorum. ad  
2 Reg I. 11. 5. Witteb. 1680.

19. Agidius Struacius de vita Rechabeani ad 1 Reg XII. Witten 1689.
20. Christi. Kortholtus de Iobi theologia euangelica. Kil. 1687.
21. Christo. Aug. Heumannus de Sphera Africae regina Gotting. 1796.
22. Jo. Cor. Schramm de variis contra Christum Dei filium confiliis ad  
ad Ps. 11. Helmsf. 1727.
23. Jo. Frischmuthus de Messia Dei filio ad Ps. 11. 7. Jen 1676.
24. Jo. Cor. Schramm de maiestate Christi redemptoris ad Ps. VIII. Helmsf.
25. Jo. Christi. Aeberstrichus de dispensatione et confesso. Ps. XVIII et  
2 Sam Cap. XXII. Lips. 1796.
26. Jo. Cor. Schramm de Christo in extremis crucis angustiis  
XXII. Helmsf. 1727.
27. Joh. Frischmuthus de Eli, Eli, Lama, Sabachthani ad Ps. XXI. Jen 1676.
28. Jo. Cor. Schramm de triumpho Christi intoris ad Ps. XXIV. Helmsf.
29. Jean de verbis Christi ultimis morientis ad Ps. XXI. Helmsf. 1726.
30. 31. Jo. Frischmuthus de unica illa Christi pro reatu se traditis  
regia ad Ps. XL. Jen 1672.
32. Jo. Bernh. Hahnus introductionis in אֵלֹהֵינוּ דֵּי יְהוּדָא Region 1799.
33. Jo. Barth. Bernholdus de latibiti gestum sub N. T. conveniunt  
ad Ps. 17. 2. Hel. 1794.
34. Jo. Frischmuthus de primo quod in Messia finaci epigonal character  
ad Jer. XI. 1. Jen 1666.
35. Jean de secundo. tertio et quarto character et fer 1666.
36. Jo. Georgius Abichtus de vultore pueri aereu. ad Jer. XXIII. 1  
6. Lips. 1712.
37. Jo. Frischmuthus de non speranda orae foederis restitutione  
ad Jerem. III. 14. Jen 1650.
38. Joh. Phil. Oheimius de mendacis sapientibus ad Jer. VIII.  
v. 8. 9. 10. Lips. 1670.
39. Joh. Anr. Quenstedtus de gemis et Davidis Jesse Christo ad Jer.  
XXIII. 5. 1666. Zeyf. ao. 1774.

40. Jo. Trifhemuthus de nomine d'ni et gloria ad Jerem XXIII, 6. Jan 1669.  
 41. Deus de foedere novo. ad Jerem. XXXI. 31. 32. Jan 1671.  
 42. Deus de melecheth coeli ad Jerem XLV. 17. 18. 19. Jan 1669.  
 43. Friedr. Ketarius de signatura Jaspiracium ad Zach. IX. 3. 4. 5. 6. Eya  
 44. Jo. Gottf. Lackmannus de fructibus Nebucadnezaris aureae  
 Dan III. Heluff 1730.  
 45. Jo. Conr. Schramm de iudicis regi. Christi in his terris in visioe Sa.  
 uclis ad Dan VII. 10. 14. 19. 10. Heluff. 1734.  
 46. Jo. Trifhemuthus de LXX hebdomadibus earumque divisione ad  
 Dan IX. 26. Jan. 1671.  
 47. Deus de Messiae exifione et Hierosolymae desolatione ad  
 Dan IX. 26. 27. Jan 1672.  
 48. Jo. Conr. Schramm de novissimo prophetarum d'que.  
 visioe uaticinis ad Dan XII. v. 2. Heluff 1734.  
 49. Jo. Andr. Quaestiones de dominis egregiis et Bethelae.  
 ad Mich. V. 2. Witten 1670. reus ib. 1681.  
 50. Jo. Trifhemuthus de gloria templi secundi. ad Hagg II. 7. 8. 9. 10. 16.  
 51. Deus de xxx argenteorum pretio quo Messias a Judaeis <sup>app.</sup>  
 snatus est ad Zach. XI. 12. 13. Jan 1672.  
 52. Deus de Messia confixo eoque in statum unigeniti filii plangens.  
 ad Zach. XIII. 10. Jan. 1666.  
 53. Jo. Adam. Scherberus de aspectu Judaeorum in Messiam  
 transfossum ad Zach. XII. v. 10. reus Witten 1735.  
 54. Jo. Trifhemuthus de angelo foederis ad Malach III. 1.  
 Jan 1660.  
 55. Joach. Christo. Boederus de idololatria gentium ad Lappi.  
 2. Hoff. 1666.



39.  
DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
GERMINE  
JEHOVÆ ET DAVIDIS  
CHRISTO JESV

QVAM  
EX JEREM. XXIII. v. 5.

D. O. M. A.

PRÆSIDE  
JOH. ANDREA QVENSTEDT  
S. S. THEOL. D. ET P. P. NEC NON  
ELECT. ALVMNOR. EPHORO

PVBLICE VENTILANDAM PROPNIT

M. CHRISTOPHORVS Richter  
ROSVINO-MISNICVS

AD. D. AVGVSTI ANNO M DC LXVI.

IN AVDITORIO MAIORI.

---

RECVSA ANNO MDCCXXXIV. (4)



DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

GERMINE

JEHOVAE ET DAVIDIS

CHRISTO JESU

QUAM

EX GEREM. XXVII. c. 2.

D. O. M. A.

P R E S I D E

JOH. ANDREA QVNSTEITZ

S. S. THEOL. D. ET P. P. NEC NON

LECT. ALMOR. EPORO

PUBLICÆ VERTLANDAM PROFESSOR

M. CHRISTOPHORVS SIEBERT

ROVINO MIGNIVS

AD D. AUGUSTI ANNO MDCCLXXII

IN AVDITORIO MAIORI

RECESS. ANNO MDCCLXXII

(3)

**C**um totius Scripturae Θεοπνεύστῃ τέλος σκοπιμώτατον, ultimus scopus, primum objectum, principale argumentum, praecipuus finis & quasi centrum sit CHRISTUS JESUS, Psalm. XL. 8. Hebr. X. 7. Luc. XXIV. 27. 44. Joh. V. 39. hinc, ut notitiam illius hominum cordibus penitissime infingerent & accurate inscriberent Sancti DEI homines, variis Ipsum & quidem significantissimis ac maxime Emphaticis appellationibus insignire voluerunt. Inter Nomina vero, οἷς καὶ ὀφθαλμῶς Ἰησοῦς χριστός προσεγράφη, ut Paulus loquitur Gal. III. 1. haud postremum locum optinet nomen, גֶּמַח, *Germen*, quo Trias Prophetarum, (Esaïas, Jeremias & Zacharias) Mundi Messiam, ejusque personam, naturas & beneficia graphice depingit; *Ecce Vir*, inquit horum postremus c. VI. 12. גֶּמַח, *nomen ejus*.

§. II. Descendit autem nomen גֶּמַח a radice גִּמַח, quae *germinare, pullulare, efflorescere* significat, sumiturque proprie de rebus e terra nascentibus, itaque de furculis & stolonibus dicitur, qui ex praecedaneo semine aut radice exsurgunt, significatio illi inest; Ein (*zartes, amuthiges*) Zweiglein, Sproß, Reislein, oder Gewächs, pro Synonymis vocis גֶּמַח habentur, כֶּצֶר, פֶּטֶח Esa. XI. 1. פֶּטֶח, Es. LIII. 2. quanquam non eadem omnino harum vocum sit ratio. Cæterum vox גֶּמַח duodecies in Scriptura Vet. Test. reperitur, quater cum pronomine eoque solo feminino tertiæ personæ conjuncta & octies sine affixo pronomine. Septem locis proprie accipitur, ut Gen. XIX. 25. *Et subvertit civitates istas, & omnem plantam illam, & omnes habitatores urbium illarum, גֶּמַח & germen terræ, Ps. LXV. 11. Irrigas liras ejus (terræ) & quiescere*

facis sulcos ejus. Facis eam guttis colliquefcere צמחה germini  
 ejus benedicis. Efa. I. XI. II. Sicut enim terra profert צמחה ger-  
 men suum, & sicut hortis semen suum germinat, sic Dominus  
 Deus germinare faciet justitiam, & laudem coram universis  
 gentibus. Ezech. XVI. 7. Auxi te in multa millia כצמח velut  
 germen agri. Et XVII. 9. Annon radices ejus veller, & fructum  
 ejus excidet, & arefcet, omnes frontes צמחה germinis ejus  
 emarescent, & 10. Et in areis צמחה germinis sui arefcet, &  
 Hofeæ VIII. 7. Quia ventum seminabunt & turbinem metent,  
 culmus stans non erit ei, צמח germen non faciet farinam.  
 In reliquis quinque locis figurate & metaphorice vox צמח  
 fumitur ac certo individuo & quidem soli promisso mun-  
 di Messiae appropriatur, ita ut צמח appellatio Messiae pro-  
 pria sit & peculiaris, hinc J. Drufius in Lectionib. ad Zach.  
 VI. 12. inquit, Sane antiqui Ebraei inter nomina Messiae & צמח  
 recensent, i. e. oriens vel germen.

§. III. Sunt itaque quinque insignia loca in Scriptura V.  
 T. (Sixtinus Amama in Anti-barbaro Bibl. Lib. IV. ad v.  
 5. c. XXIII. Jer. p. 722. quatuor saltem recenset, maxime illu-  
 strem illum locum Es. IV. 1. de Germine Jehovah omittens)  
 ubi Messias צמח appellatur, videl. Es. IV. 1. Jer. XXXIII. 5. c.  
 XXIII. 15. Zachar. III. 8. & Zach. VI. 12. In singulis vero locis  
 Chaldaeus Paraphraustes, (Jonathan) qui passim accurate expo-  
 suit & signanter, quicquid fere de Messia debet accipi, teste Theod.  
 Hackspanio parte secunda Notarum Philologico Theolog.  
 ad varia & diffic. loca SS. ad cap. XXIII. 5. Jer. p. 764. vocem  
 Hebraeam צמח non αὐτολεξι interpretatus est, sed ut liberi-  
 orem interpretum & paraphrastem decebat, rem ipsam  
 spectavit & per suum משיחא expressit. Sic Efaiae IV. 1. In  
 die illa erit צמח יהוה, germen Domini in decore & gloria,  
 Targum, In die illa erit Messias Domini Jerem. XXIII. 5. Ecce  
 dies venient, dixit Dominus, & suscitabo David, צמח צדיק, ger-  
 men justum, Targum, Messiam justorum, ut est in Bibliis  
 Basi-

Bafilienfibus. Jer. XXXIII. 15. *In diebus illis & in tempore illo germinare faciam David קר צר צמח germen iustitiæ. Chald. Messiam iustitiæ, & faciet iudicium.* Zach. III. 8. *Ecce ego adducam servum meum צמח germen, Chald. Ecce ego adducturus sum servum meum Messiam, qui manifestabitur, Zachar. VI. 12. Ecce Vir צמח שמו germen, nomen ejus Chald. Ecce Vir, Christus nomen ejus. Recte D. Varenius in Comment. ap. Ef. c. IV. 1. p. 132. Laudamus omnino, inquit, & magnificimus tam antiqui, quo post Mosen & Prophetas nihil antiquius & venerabilius habent nostri Judæi, Paraphrastæ constantiam, & expositionem Christianam, quæ ipsa satis arguit hodiernæ Judaicæ Synagogæ ab illa, quæ Jonathanis tempore fuit, apostasiam. Pleraque enim quæ de Messia explicari debent, de illo ipso explicat Propbetarum vaticinia & præterea. Ipsius veræ divinitati, incarnationi, officio luculenta satis testimonia præbet. Consentit R. David Kimchi, qui sub finem seculi XII. vixit, in Comm. ad loc. Ef. IV. 1. *Expositio, inquit, vocum יהיה צמח est Messias, Filius Davidis, sicut dictum est (Jer. 33. v. 15.) Excitabo David. germen iustum.**

§. IV. *Corvelius a Lapide Comm. ad c. III. Zach. v. 8. ait צמח per mathesin esse idem quod משיח i. e. Messias. Licet enim in voce משיח sit Litera ש, in צמח vero צ, tamen hanc illi esse affinem, cum utraque valeat Latinum S. sed hoc parum ad rem facit. Qui Cabbala delectantur, conferunt vocem צמח germen, surculus, quæ in numeris valet CXXXVIII. cum dictione מנחם consolator, παράκλησις, quæ per Gematriam, quam arithmantiam vocat Cornelius Agrippa teste Hottingero in Thesauo Philol. Lib. I. c. 3. Sect. V. de Cabbala pag. 452. eundem numerum efficit. Hinc Christianorum Rabbi Buxtorfius, in tractat. ad Abbreviatur. Hebr. pag. 62. ait: Tzemach valet per Gematriam, eam Cabbalisticæ partem, qua diversæ dictiones eundem numerum literis suis exprimunt, sicut una per alteram seculo modo explicetur, CXXXVIII. Totidem autem etiam valet מנחם,*

*Consolator. Hoc autem nomen Menachem numeratur a Cabalisticis & Talmudicis inter nomina Messia. Unde Cabalisticè per Tzemach intelligitur illic Messias. Hinc Paraphrastes Chaldaeus transtulit etiam משיח Messias. Vide Aben Erasm. in b. l. Hæc Buxtorfius. Raymundus Martini, Ordinis Prædicator. Monachus adversus Mauros & Judæos, (cujus scripta pro suis edidit Petrus Galatinus, commutato rerum ordine & argumento nonnihil variatio, ut plagii possit accusari Galatinus, ut inquit Matthæus Beroaldus Lib. II. Chronic. c. 3.) in suo Pugione fidei, (hæc libri frons est,) quem ex hostium (Judæorum) ferro confecit, parte III. Distinct. III. c. XIX. §. 4. p. 685. e Rabbinis ita loquitur. Ad hoc etiam facit, quod legitur in Echa Rabberhi (i. e. in Glossa super lamentationes Jeremiæ) super illud Thren. I. 16. Quia elongatus a me consolator, reducens animam meam; ubi dicitur; Quod est nomen Regis Messia? Dixit R. Abba יהיה Dominatus est nomen ejus, sicut dictum est Jerem. XXIII. 6. Et hoc nomen ejus, quo vocabunt ipsum, Dominus justitia nostra, vel justus noster. R. Josua ben Levi dixit: Germen est nomen ejus, sicut dictum est Zach. VI. 12. Ecce Vir, germen nomen ejus &c. Sunt, qui dicunt; Consolator, filius fortitudinis Dei, nomen ejus, sicut dictum est Thren. I. 16. Quia elongatus est a me consolator &c. Ex domo R. Siloh dixerunt, Silo est nomen ejus, sicut dictum est Gen. XLIX. 10. Donec veniat Siloh. Ex domo R. Chanina dixerunt; Gratosus est nomen ejus, si aut dictum est Jer. XVI. 13. Non dabo vobis gratiosum. De domo R. Fannai dixerunt, טימן timon est nomen ejus, Ps. LXXXII. 17. Ante Solem filiabit nomen ejus: R. Biba dixit: Lucidus est nomen ejus sicut dictum est Dan. II. 22. Et lux cum illo habitat: Lucido, fuit scriptum. Dixit R. Juda. Iste Rex Messias, si de vivis est, David est nomen ejus, & si de mortuis est, David est nomen ejus, Dixit R. Tanchuma, Ego dicam probationem Ps. XII. 51. Magnificans salvationes regi suo & faciens pietatem Messia suo David, & semini ejus in seculum.*

culum. *Messia & David non esse scriptum sed Messia suo David.* Hæc licet pluscula, adducere placuit ex Pugione Fidei, quia liber hic vix alioquin in manus Studiosorum hodie incidit. Confer. eundem cap. IV. §. 14. pag. 554. & cap. XVI. §. 21. p. 664. Ex quibus jam allegatis Raymundi Martini locis integrum suum cap. XVI. Libri III. de Arcanis Cathol. Veritat. descripsit Galatinus.

§. V. Nomen ergo משיח in vetusta Judæorum Schola de solo Messia in locis adductis expositum est, Posteriores vero recutiti majorum suorum *μὲν ἐπισημαίνοντες*, & genuinum Verbi divini sensum relinquunt, & putida cerebri sui commenta & somnia reponunt, ac vim inferre textui malunt, quam agnoscere, de Messia hic sermonem esse. R. Salomon Jarchi, abbreviate משיח dictus, quem sui *נאמן יְהוֹשֻׁעַ בֶּן יוֹסֵפִי*. e. *Interpretem Legis* appellant, cujusque Commentarii in Scripturam, Bibliis adjungi assolent, fatetur quidem ad Zachar. c. VI. v. 12. scribens, quod sint, qui explicent, quod hic legitur de Germine, de rege Messia, ipse vero missa hac expositione de Zerobabele accipit, sed hunc Rabbiorum antesignanum in terminis confutat R. Isaac Abarbenel, teste *Hackspanio* loco supra citat. pag. 1045. *Ebræi recentiores Zerobabelem innui putant* (Zach. VI. 12.) quem *Germen* vocari dicunt, quod ejus dignitas germinis instar *fructescens paulatim ad summum gradum pervenerit*, ait *J. Drusius* in *Lectioibus* ad prædictum locum pagin. 1006.

§. VI *Calvinus* Commentar. in Esa. cap. IV. 1. *Germen Jehovahæ & fructum terræ interpretatur de copioso & insolito gratiæ proventu, quam promittat DEUS reliquis post diuturnam vastitatem regni & terræ.* Et sic more suo eludit egregium argumentum Deitatis Christi cum Judæis. Adducit ibi quasdam ratiunculas, cur non de Christo hoc germen intelligi possit, sed de donis  
DEI,

DEI, quæ etiam infra cap. XLV. & Psal. LXXXV. germina  
 appellantur, sed ab ipso  *Davide Pareo*, Calvæ sectæ alias  
*νεοπατρι* & clypeo, in adversariis ad h. l. pag. 144. hæc Cal-  
 vini interpretatio vel potius prodigiosa depravatio excu-  
 titur & refellitur quinque rationibus. *Sed*, inquit, *illa ipsa*  
*gratia copiosa, de qua germen intelligit, non est extra Christum,*  
*Ergo ad Christum veniendum est & ipse fatetur, de regno Christi*  
*hic agi.* 2. *Dona seu gratia regni Messia satis diserte commemo-*  
*rantur & distinguuntur hoc capite a germine, tanquam effectus a*  
*causa.* 3. *Chaldaeus Paraphrastes & Kimchi de Messia expresse in-*  
*terpretantur.* 4. *Græca versio de Deo.* 5. *Consensus Christianorum*  
*interpretum.* Hæc Pareus. Turpiter hac in parte reliquit  
 Calvinus vestigia Præceptoris sui, *Joh. Oecolampadii*, qui in  
 Hypomnem. in Esai. Lib. I. fol. 36. ita inquit: *Igitur hoc pa-*  
*ragrapho docet (Propheta) felicitatem Ecclesie ex gaudio & glo-*  
*riatione in Christo, ex sanctitate & securitate. Dicitur autem hic*  
*Christus Germen Domini & Fructus terræ. Nam & Patrem ha-*  
*bet in caelis DEum, ut verus Deus, propter quod germen Domi-*  
*ni dicitur & matrem in terris, ut verus homo, propter quod fru-*  
*ctus terræ vocatur. Ecce habes Incarnationis mysterium. Ex-*  
*plodit quoque jejunam Calvinus glossam ejus discipulus*  
*Franciscus Junius in Scholiis ad h. l. cujus verba adjiciam;*  
 Tempore illo erit Germen Jehovæ gloriæ & honori i. e.  
 inquit, *Christus Jehovab infra v. 4. qui inter mortuo regno*  
*DEI propemodum excitatus est, a Deo Patre & submissus, ve-*  
*lut germen e radice repullulans; alii vero pro Ecclesia repullu-*  
*lante accipiunt ex reliquiis Israelis, hoc sensu; Ecclesia e reliquiis*  
*Israelis collecta erit ornatissima, alii pro donis spiritualibus quæ*  
*Jehovab in Ecclesiam profundit: Sed cum proprium apud Pro-*  
*phetam nomen Ecclesie sit Israel, aut reliquie Israelis, hoc versu*  
*& sqq. Præterea gratia sive dona DEI evidentissimis verbis expri-*  
*mantur; deinde hoc proprium sit attributum Christi, quod dein-*  
*ceps procedente tempore copiosius exposuit idem Propbeta infra*  
 cap. XI.

c. XI. *cujus summam hoc caput continet, interpretationem hanc aliis prætulimus, denique ipsa quoque verborum consequutio simplicius ita construitur quam si dixeris: Erit germen Jehovæ reliquiis Israelis i. e. germinabunt a Jehovah, dona vero nusquam sic appellantur, sed Christus ipse hanc appellationem & cognatas obtinet, infra XI. Jerem. XXIII. & XXXIII. Zach. III. & VI. Hæc Junius. Ex quibus apparet, quid de glossemate Judaizantis Hugonis Grotii sentiendum sit, quivis verbis textum conspurcat; Germen Jehovah sunt primo sensu reliquia exulum, quæ Esdræ & Nehemiæ temporibus domum reversæ laudabilem vitam duxerunt; *μωσικῶς* autem Christus & Christiani. In his verbis multa sunt ἀτοπὰ & absurda, nam. confundit Grotius tempora cladis Babylonicæ cum serenioribus illis temporibus liberationis populi, quæ 70. annis separata sunt. 2. Germen Domini & Fructum terræ esse reliquias populi reduces, nullo idoneo argumento probabit. 3. Magnificentiam & gloriam, nec non decorem & sublimitatem de vita laudabili exponit, quæ maxime distincta sunt, 4. Duplicem imo triplicem his verbis affingit sensum; si enim de reliquiis Israelis sermo est, quomodo germen de Christo explicabitur, & si de Christo intelligendum, quomodo Christianis aptabitur? Si de die reditus e captivitate Babylonica Propheta loquitur, quomodo dies illa de die vel tempore N. T. intelligi potest? quomodo tam disparati sensus uni & eidem loco congruunt? Sed accuratius & fusius hæc excutit Maxime Reverendus Dn. D. Calovius, Collega, Compater & in Cristo Frater meus ætatem devenerandus in annotatis suis Anti-Grotianis ad hunc Esa. locum. *Glossæ Thomæ, Sanchez. in h. l. & Hieronymo Prado Commentar. in Ezech. c. XIII. 9. qui itidem cum Judæis recentioribus Germen Domini de reliquiis Judæorum a strage Babylonica superstitum exponunt, respondemus verbis Nic. Lyran, qui ad verba illa Es. In die illa erit Germen Jehovæ & c.**



ita commentatur; *In translatione Chaldaica, quæ dicitur Thargum & apud Hebræos est authentica, dicitur; In tempore illo erit Messias Domini &c. Ideo expositores Latini hoc exponentes de prosperitate redeuntium de captivitate Babylonica, MAGIS JUDAIZANT, quantum ad hoc, QUAM HEBRÆI.* Hæc ille.

§. VII. Jerem. XXIII. 5. & XXXIII. 15. per *מוֹשֶׁה* justum Davidi excitandum Messiam seu Christum intelligendum esse, non tantum communi Christianorum Interpp. suffragio constat, sed etiam a priscis Judæis admittitur, ut supra vidimus. Et tamen *Hugo Grotius* non veretur ad hæc quoque loca in hunc modum scribere; ad primum; Germen justum i. e. Zorobabilem qui *מוֹשֶׁה* ut hic appellatur, ita ex Zachar. VI. 12. nimirum, quod velut surculus renatus esset ex arbore Davidis quasi præcisa, ad secundum; Germen justitiae id est Zorobabilem, germen Davidis, virum æqui amantem &c. Sed prædicata illa, quæ de Germine Davidico loc. cit. effertur, nullatenus in Zorobabilem aut alium quendam Judaicum principem congruunt, sed uni Christo propria sunt. De solo ergo Christo hic est sermo, quod probamus 1. ex *Germinis seu surculi titulo*, qui in promissionibus Prophetis uni Christo appropriatur, quod loca parallela supraadducta & infra adducenda evidenter confirmant. 2. Ex *Germinis illius Epitheto*. Dicitur enim in priori loco *Germen justum*, in posteriori *germen justitiae*, quod soil. Messias non solum justus futurus sit, sed & omnis justitiae autor. 3. Ex *Germinis officio*, quod scil. prospere acturum sit & erecturum justitiam & judicium in terra, quibus verbis Christi Regnum Catholicum, & officii Mediatorii prospera expeditio designatur. 4. Ex *regiminis ejus fructu*; Promittitur enim sub hoc Germine seu Rege Davidico *Judæ salus & Israël securus habitatio*. 5. Ex *Germinis elogio*; Et hoc est nomen ejus, quod vocabit (Israeliticus populus, vel etiam ipse

Domi-

Dominus, aut impersonaliter, unusquisque) *cum*, *JEHOVA* *justitia nostra*. Quæ omnia nec Zerobabeli, nec ulli alii *ψιλῶ ἀνθρώπων*, sed soli mundi Messia conveniunt. Messia conveniunt. Mere itaque *ἰδίων ἐπιλοσῶν* sapiunt & plane contortæ sunt Grotiana Glossæ, quod pluribus ostendit supra laudatus venerandus D. *Calovius* in annotatis anti-Grotianis ad Jerem. cap. XXIII. & XXXIII.

§. VIII. Illustrissima oracula Zach. III. 8. VI. 12. de *Zemach* non solum *Grotius*, sed etiam Jesuita *Estius* in notis ad Zerobabelem trahit, contra Spiritus S. mentem & genuinum textus sensum. Neque enim 1. Zorobabel erat servus ille Domini, qui voluntatem ejus faciebat, hominibusque inferviebat, docendo, benefaciendo, moriendo, sed Christus Pf. XL. 9. Ebr. X. 7. Ef. XLII. 1. XLIII. 24. & LIII. 13. Phil. II. 7. Nec 2. Zorobabel erat vir ille inde ab exordio mundi toties promissus, tot fidelium votis & suspiriis expetitus & tandem aliquando in mundum deducendus & exhibendus, sed Christus. Nec 3. Zorobabel erat illud Germen, quod Ecclesiæ Dei erat futurum fundamentum, placamentum, ornamentum, lapis angularis & victima piacularis, Ecclesiam suam virtute sua protegens, morte sua redimens, a peccatis sanguine suo abluens, sed Christus Zach. III. 9. Neque 4. Zorobabel erat illud Germen, sub quo & ex quo germinatura erat multitudo ramorum i. e. fidelium, sed Christus, Zach. VI. 12. Neque 5. Zorobabel ædificaturus erat templum Jehovæ spirituale seu Ecclesiam, sed Christus ibid. v. 12. & 13. Hic enim prædicatione Evangelii templum Jehovæ ex hominibus ædificavit, quod multo gratius erat Deo, quam quod tunc ædificabatur ex lapidibus. Inque eo (Christo) solo totum ædificium Ecclesiæ coagmentatum crescit, in templum sanctum Domini, Ephes. II. 21. 22. Neque 6. Zorobabel portaturus erat coronam gloriæ, gloriosi scil. sacerdotii & regni æterni, sed Christus, ibid. &c.

§. IX. Ex hæcenus dictis constat, Nomen  $\Gamma\Omega\Upsilon$  Ef. IV. 1. Jer. XXIII. 5. cap. XXXII. 15. Zach. III. 8. & c. VI. 12. non nisi Christo Salvatori competere, ejusque nomen esse peculiare, transeamus jam ad varias hujus vocis Interpretum versiones. A Chaldaeo Paraphraste Jonathane Hebræam vocem  $\Gamma\Omega\Upsilon$  in his locis per  $\aleph\aleph\omega\omega$  constanter reddi, supra vidimus. LXX. Interpret. Ef. IV. 1. verbum pro nomine usurpant, &  $\Gamma\Omega\Upsilon$ , per  $\epsilon\pi\iota\lambda\acute{\alpha}\mu\pi\epsilon\upsilon$  exponunt; In die illa  $\epsilon\pi\iota\lambda\acute{\alpha}\mu\pi\epsilon\upsilon$  ο θεός εν βεβλή, Jer. XXXIII. 15. vertunt βλασόν; (Sic & Symnachus βλάστημα δικαίον, *germen justum*, Jer. XXIII. 5. & πλασόν δικαιοσύνης, *germen justitia*. c. XXXIII. 15. exponit.) In reliquis vero locis, vid. Jer. XXIII. 5. Zach. III. 8. & VI. 12. interpret. LXX. interpret. vocem  $\Gamma\Omega\Upsilon$  per  $\acute{\alpha}\nu\alpha\tau\omicron\lambda\eta\eta\upsilon$ . Luc. I. 78. Messias dicitur  $\acute{\alpha}\nu\alpha\tau\omicron\lambda\eta\eta\upsilon$  εξ ὕψους, *oriens ex alto*. Habet autem vox  $\acute{\alpha}\nu\alpha\tau\omicron\lambda\eta\eta\upsilon$  varia significata. Nam I. signific. proprie *exortum Solis & Lunæ*, five ipsum orientem Solem aut Lunam, ut Jud. V. 31. *Sicut ἀνατολή Solis in fortitudine sua splendet*, & Ef. LX. 19. *ἀνατολή Lunæ non illuminabit te*. Unde &  $\acute{\alpha}\nu\alpha\tau\omicron\lambda\eta\eta\upsilon$  absolute pro  $\acute{\alpha}\nu\alpha\tau\omicron\lambda\eta\eta\upsilon$  ἡλίου quandoque dicitur, ut apud Plut. in Probl. Rom. II. *locum seu regionem vel eam cæli partem, ubi Sol oritur*. Sic Matth. II. 2. vidimus stellam ejus *ἐν ἀνατολῇ in oriente*, in singulari, ut Apocal. VII. 2. alias enim plerumque pluralis adhibetur, ἀπ' ἀνατολῶν. III. *Germen*, ita dictum, quod ex terra oritur, ut Ezech. XVI. 7.  $\acute{\alpha}\nu\alpha\tau\omicron\lambda\eta\eta\upsilon$  τῆ ἀγρῆ, ipsumque verbum  $\acute{\alpha}\nu\alpha\tau\omicron\lambda\eta\eta\upsilon$  de terræ nascentibus usurpatur Genes. II. 5. & XIX. 25. Quando itaque Christus Luc. I. 78. dicitur  $\acute{\alpha}\nu\alpha\tau\omicron\lambda\eta\eta\upsilon$  εξ ὕψους, volunt quidam, ut *Piscator* in Scholiis ad h. l. & *Saxatinus Amama* in Antibarbaro Biblico pag. 724. non respexisse Zachariam Sacerdotem ad prædicta Jeremiæ & Zachariæ loca, sed ad illum potius Malachiæ IV. 2. ubi Christus Sol justitiæ vocatur; *Orietur vobis, orientes Nominis mei, Sol justitiæ*, vel ad Prophetiam Bileami Numer XXIV. 17. ubi idem stellæ nomine insignitur: *Procedet stella ex Jacob*.

Et

Et hujus explicationis præsidium desumunt ex versu sequente, utpote qui hujus elogii exegeſis sit; ἐπιφᾶναι τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιαθανάτοις καθήμενοις, τῷ κατευθύναι τὰς πόδας ἡμῶν εἰς ὁδὸν εἰρήνης, i. e. ut illucescat illis, qui in tenebris & umbra mortis positi sunt, ad dirigendum pedes nostros in viam pacis. Ecce, inquit Amama, duo effecta, non germinis, sed lucidissimi sideris, quale est Sol. Aliis vero, utpote ex Calvinianis Drusio & Scultero, ex nostris B. Chemnitio Harm. Evangel. cap. VI. pag. 81. b. D. Dorscheo Theol. Zachar. part. II. p. 263. D. Glassio in Onomatologia Messiae Prophetica Classe II. num. 5. pag. 80. non est dubium respexisse Zachariam ad Zachariae cognominis Prophetæ oraculum c. III. & VI. cum uti ex Apollonio & Suida constat, ἀνατολή etiam de germine, herbis & furculis dicatur. Nec movet illos illud ἐπίδομα, sive additamentum ἐξ ὕψους. Ajunt enim hoc ipso indicari discrimen hujus singularissimi Germinis & aliorum. Cum enim cætera e terra, inferne germinent, hoc e caelo sit. Imo ut constet, Christum esse furculum caelestem simul & terrestrem, germen divinum & humanum, dici hoc loco ἀνατολήν ἐξ ὕψους. Hebr. vero VII. 14. ἀνατεταλμένα ἐξ ἰσραὴλ, i. e. Jesum germinasse ex tribus Juda. (hic certe unicus novi fœderis locus est, inquit Sixtinus Amama loc. alleg. ubi ἀνατέλλειν aliter accipitur, quam de ortu luminarium.) Quod pertinet illud Chrysoſtomi, citante Photio; Hic igitur oriens ex alto ortus est, & e terra, ex alto, quod ad divinitatem, e terra, quod ad humanam naturam. Hinc ipse Beza in prioribus editionibus vocem ἀνατολήν Luc. I. 78. per germen interpretatus est, ut ipse fatetur. Et Joh. Coccejus Comm. in Zachariam cap. III. 8. inquit, Eum (Messiam) vocat ἄρβυξ Germen. Nomen hoc sumit ex Prophetis anterioribus, Esa IV. 2. Jerem. XXIII. 5. XXXIII. 15. Rationem appellationis reddit Zacharias VI. 12. Huc refer Luc. I. 78. ubi emphatice Germen ex alto. Joh. III. 31.

dicitur ὁ ἀνωθεν ἐρχόμενος *superne veniens*, i. Cor. XV. 47. ὁ ἄνωγος ἐξ ἰσραὴλ, *Dominus de celo.*

§. X. Quod vero usum vocis צמח, quatenus ea Messia tribuitur, concernit, ponitur hoc nomen 1. absolute, 2. cum adjuncto. Absolute ponitur Zachar. VI. 12. *Ecce Vir צמח* Germen seu furculus, *nomen ejus.* Et cap. III. 8. *Ecce ego adducam servum meum Zemach.* Cum adjuncto ponitur, & quidem 1. cum adjuncto nominis Jehova seu Domini, Esa. IV. 1. ubi dicitur Messias צמח יהוה, *Germen Domini*, 2. cum adjuncto nominis Davidis, Jer. XXIII. 5. & XXXIII. 15. ubi dicitur Zemach justum vel justitiae Davidi excitandum.

§. XI. Observandum denique nomen צמח esse nomen originis & filiationis, & quidem 1. Originis & filiationis in genere. Nam omne germen sive proprie sive metaphorice acceptum fecunditatis & originis est indicativum, semperque respectum dicit ad id, cujus est Germen. *Germen est nomen filiationis*, inquit B. Henricus Höpferus ad Jerem. c. XXIII. v. 5. *sicut enim in hortis & agris germina plantarum oriuntur, ita in familiis & domibus liberi.* Hinc quia Messias Germen est appellatus, non carebit omni origine & praesupponit γεννητικὴν ἢ κατὰ φύσιν ὄσιν, sive fecunditatem aliquam, a qua est germen. Fecunditas autem illa abstrahenda est ab omni imperfectione, ne quid, quod ad fecunditatem, ut talis vel talis est, pertinet, ad fecunditatem simpliciter referatur. Sunt, qui existimant voce צמח formaliter notari Christi humanitatem & ortum infernalem seu nativitatem ejus terrenam & temporalem. Sive Messiam vocari צמח a Prophetis propter solam ἐνανθρώπηση καὶ ταπεινώσει, *incarnationem & exinanitionem*, cum germen id sit proprie, quod ex terra nascitur, & initiis plane exiguis & obscuris crescendo progreditur, ita ut vertendum sit, Ein schlechtes, schwaches, verachtetes Keislein,

lein, oder Zweiglein. Volunt itaque hoc nomine in Prophetarum oraculis designari, præfigurari & insinuari non ortum aut filiationem in genere, ita ut, pro diversitate adjunctorum de nativitate Messiae æterna & temporali, de filiatione divina & humana explicari possit, sed *præcise & inspecie* (1) nativitatem Christi terrenam & temporalem, quod instar furculi proditurus esset e terra & e trunco velut succiso & fere emortuo, omnique ramorum, frondium ac viroris gloria destituto, (2) teneram & abjectam Christi conditionem, & *μορφὴν δούλου*, sive formam illam servi, quam ad tempus induit Phil. II. 7. (3) succum vitalem, virorem, florem, odorem fructumque suavam cum doctrinæ tum vitæ Incarnati & inter homines versantis Filii DEI, (4) insitionem & inoculationem fidelium in hoc furculo vel germine. In hunc enim furculum insitæ sunt fideles animæ, tanquam DEI plantæ, quæ ut manibus DEI, i. e. omnipotentente Spiritus S. vi sunt plantatæ in Christo, inoculatæ insitæque per fidem, ita in eodem excoluntur, & ex eo velut germina e furculo efflorescunt. Hinc D. Johan. Tarnovius Comment. in cap. III. vers. 8. Zachar. pag. 92. *GERMEN*, inquit, est Messiae cognomen Esa. 4. 1. & u. 1. Jerem. 23. 5. & 33. 15. & *infr.* 6. 12. tum respectu ipsius, quod ipse velut germen ex Maria Virgine esset proditurus, tum respectu hominum piorum, qui ex & in illo velut germine & genimine spiritali renascuntur ac plantæ caelestes viverbi redduntur Johan. 15. 1. Jacob. 1. 18. 1. Petr. 1. 33. Propter officium igitur Christum vocat servum, propter naturam humanam in persona unitate potissimum Germen. Et in L. C. ex hoc v. p. 99. Cum appellatur germen, ait, natura ejus humana indicatur, ejusque in statu exinanitionis contempta species innuitur. Idem ad c. VI. 12. pag. 162. inquit: quando appellatur (Christus) germen, & vilis ac contempta ejus coram mundo origo indi-

*indicatur.* B. D. Glaffius Philol. S. Lib. V. tract. I. c. 8. inquit: Messias vocatur *Germen & surculus* Esa 4. 2. c. II. I. Jer. 23. 5. c. 33. 15. Zach. 3. 8. c. 6. 12. quæ loca a Chaldæo interprete de Messia diferte explicantur. Notatur autem principaliter ortus ipsius secundum carnem seu nativitatis temporalis, sicut germen & surculus terream habet originem & terram quasi matrem agnoscit; consequenter vero regni ejus viriditas, felicitas & perpetuitas, uti & alias verbum **צמח**, germinavit, crevit, de Christi regno & beneficiis usurpatur Esa. 43. 19. c. 61. II. 12. Psal. 85. 12. Zach. 6. 12. &c. Hæc ille. Menochius Comm. ad Zach. c. III. v. 8. ait: *Germen dicitur Christus, quia ex mortua Patriarcharum radice, tanquam novus surculus prodiit, & defossus in terra germinavit, & in magnam arborem crevit, cujus rami sunt filii Ecclesiæ.*

§. XII. Sed quanquam hæc omnia analogiæ fidei sint consentanea, & negari non possit, in plerisque Scripturæ locis ad ortum infernalem, sive ad mysterium *ἐνσάρκωσως* & statum *παρηνώσως* Messiæ *ἐξ ἁθνήθεν* & voce **צמח** respici existimatum tamen, nomen **צמח** Christo tributum *formaliter dicere non ortum infernalem, sive παρηνώσως* statum, sed ortum, sive ille sit supernas, sive infernas: unde, quando Christus dicitur absolute *ZEMACH*, licebit interpretari de nativitate Messiae æterna, qua est naturalis DEI filius naturaliter, & de nativitate temporali, quæ est ex Maria Virgine, Vid. Zach. VI. 12. ut recte observat D. Aug. Varenius in Comm. ad Es. XI. 1. p. 566. Dicimus itaque nomen **צמח** esse indicativum 1. originis & filiationis in genere 2. in specie originis & filiationis tum divinæ tum humanæ. Divinam & æternam infert filiationem, quando apud Prophetarum antesignanum Esaiam legitur cum adjuncto nominis **יהוה** cap. IV. 1. Hic enim omnino additum nomen **יהוה** titulum *Zemach* elevat, Messiamque in divinitatis arcanum collocat, Verba ita habent; *In die illa erit צמח יהוה in decorem & glo-*

*Et gloriam & Fructus terræ in sublimitatem & gloriam evasori  
 Israel. Verba צמח יהוה bifariam exponi possunt i. per appo-  
 sitionem, quam vocant, ut יהוה fit casus primi seu Nomina-  
 tivi, hoc modo GERMEN JEHOVAH vel Dominus, 2. in  
 regimine, ita, ut צמח regat casum Genitivum hoc pacto,  
 GERMEN JEHOVÆ seu Domini. Prior expositio respi-  
 cit Messiae Deitatem, quod scil. natura Deus sit, Jehovah &  
 Dominus, posterior æternam ejus a Patre originem & ge-  
 nerationem. Est JEHOVA ratione communis essentialis, est  
 GERMEN JEHOVÆ ratione ineffabilis generatione a  
 Deo Patre. Vocatur ergo Christus צמח יהוה a natura & ge-  
 neratione divina; Bene D. Varenius Comment. in h. l. p. 131.  
 Quo respectu naturæ alibi (Christus) dicitur Zemach David, eo  
 non dicitur Zemach Jehovah: Uti ergo illud ad humanam JESU  
 CHRISTI naturam, ut sic, ita hoc vel ad eandem ut in personam  
 εὐλόγησσαν assumptam vel ad ipsam divinam JESU CHRISTI na-  
 turam non sine ratione refertur, ut adeo Zemach Jehovah sit  
 idem quod Filius Dei, Deus de Deo, seu Christus secundum natu-  
 ram divinam. Probamus hoc insuper ex ipso contextu; in  
 adducto enim v. i. cap. IV. Messias duplici titulo insignitur,  
 primum appellatur צמח יהוה Germen, seu surculus Domini,  
 deinde פרי הארץ, Fructus terræ. Prior titulus infert Chri-  
 sti divinam filiationem, seu æternam ex substantia Patris  
 generationem, posterior titulus (qui re ipsa idem dicit,  
 quod Zemach Davidis Jerem. XXIII. 5. & XXXIII. 15.) infert  
 ejusdem nativitatem humanam & temporalem. Primo  
 Christi divinitas, altero ejus humanitas, utroque conjun-  
 cto hypostatica duarum naturarum unio solide proba-  
 tur. Recte D. Oslander in h. l. Vocat Prophetæ, inquit, Chri-  
 stum Germen Domini, ut significet eum esse Filium Dei, ab  
 æterno genitum, Patri consubstantialem. Paulo post appel-  
 lat Fructum terræ, ad asserendam ejus veram humanita-  
 tem. Eadem est explicatio Brentii, Gesneri Hesbusii &*

C

Mölleri



Möller's Comment. in h. l. Quorum hic ita scribit: *Nominat eum (Christum) Germen Jehovæ, non tantum ratione missionis, quod a Jehovab missus sit ad Ecclesiam, ut sit redemptor, justificator & Salvator, sed etiam quia est de substantia ejus surculus, i. e. filius Jehovæ de substantia Patris genitus. Est enim γεννημα τῆς πατρὸς. Ita igitur dicitur ab ortu, quem habet ab æterno a Patre. Atque huc principaliter respexisse Prophetam in hac descriptione personæ ostendit sequens membrum, in quo nominatum etiam fructum terræ, quia quod ad humanam naturam attinet, ortum habet a terra, quando homo factus in utero Mariæ assumpsit humanam naturam. Hæc ille. Theodor. Schnepffius in Scholis Theol. in hunc Esa. loc. p. 63. fatetur quidem plerosque interpretes illud, (Germen Jehovæ) ad divinam Christi naturam, illud vero alterum, quod statim sequitur, Et Fructus terræ ad humanam Christi naturam referre, & esse sane doctam istam interpretationem agnoscit, ipse tamen mavult Germen Domini de nativitate Christi, qua secundum carnem filius est Davidis, quod autem additur, Et fructus terræ, de humilitate nativitate Dominicæ accipere. Vinarienses quoque utrumque nomen ad ortum humanitatis Christi referunt. Quod suo loco relinquimus. Nobis interim jam allegatorum Theologorum sententia placet, qui ideo Messiam GERMEN JEHOVÆ apud Esaiam appellari existimant, quia ex divina Patris essentia ab æterno fuit genitus & sicut surculus ex sua stirpe quasi propullulavit.*

§. XIII. Ad hanc ineffabilem & incomprehensibilem Filii a Patre æterno generationem respexit quoque Paulus Apostolus, quando Christum Hebr. I. 3. vocat ἀπαύγασμα τῆς δόξης (τῆς δόξης v. l.) Syrus vocabulum ἀπαύγασμα, (quod refulgentiam, effulgentiam, relucetiam & resplendentiam significat, & in N. T. non nisi hoc loco usurpatur) exponit per אורא quam vocem *Guido Fabricius Baderinus* in Lex. Oper.

Oper. Regii exposuit per *Germen*, ut prorsus conveniat cum qua literas, tum qua sensum cum Hebraico. *Cornelius a Lapide* in Comment. hujus loci negat, Syrum vim vocis Græce fuisse affectum, cum *ἀπαύγασμα* proprie idem sit, quod Hebraicum *קוץ*. e. *splendor, fulgor, refulgentia*. Sed fallitur *Cornelius*, Syriacum enim *קוץ*, non modo significat *germen*, sed etiam *jubar, lucem, seu splendorem*, qualis ab astris emicat, præsertim vero *Sole*. Hinc *Tremellius* in notis ad h. l. inquit: *קוץ* Syris declarat proprie splendorem ex orientis Solis. Videtur autem a *Paraphraste* exquisitum, ut innuat hunc *Filium*, qui *splendor dicitur, simul cum Deo fuisse, & coæternum esse cum Patre*. In summa, æternam æterni *Filii* generationem hac *metaphora* voluit illustrare. Inde quoque sanctissimi *Patres* ex hoc loco ineffabilem & omni admiratione superiorem *filii Dei a Patre* Instar purissimi luminis de lumine promanationem seu generationem partim, partim etiam *ὁμοστα* ejusdem cum *Patre* deduxerunt. *Chrysostomus* in Epistol. ad Hebr. ad h. l. dicit, *Filium Dei esse splendorem de lucido Patre prodeuntem ac sine mutatione procedentem, sicut radius procedit a Sole*. Et esse *Patre coæternum, sicut radius æquævus est Soli*. *Damascenus*. lib. I. de O. F. c. 9. ait: *Filium Dei esse inseparabilem a Patre, ut lux inseparabilis est a Sole, nec posse deficere, sicut neque lux Solis deficit*.

§. XIV. Quemadmodum vero in adductis locis sub figura & metaphora *Germinis & splendoris* sive *effulgentiæ*, divinam filiationem & antefecularem seu æternam generationem *Salvatoris nostri* delineare voluit *Spiritus S.* ita eandem alibi apertissime & sine figurarum in voluero indicavit nomine *Filii Dei*. Sic *Pf. II. 7.* dicitur *Messias Dei Patris Filius*, in immutabili illo æternitatis *hodie* ex substantia *Patris* genitus, *Joh. I. 18.* υἱὸς υονογενῆς παρὰ πατρός *Matth. III. ult.* υἱὸς πατρός ἁγίου πνεύματος, *Col. I. 13.* υἱὸς τῆς ἀγάπης τῆ πατρός, *Rom. VIII. 32.* υἱὸς ἰδίου, &c.

C 2

§. XV.

§. XV. Examinanda jam est Socinianorum opinio, qui contendunt propriam & immediatam causam, ob quam Christus sit & dicatur *Filius Dei* & *Germe Jehovah* non esse generationem æternam, sed *mirabilem* Ejus conceptione & *Spiritu S.* in utero Mariæ Virginis. Vide *Socinum* disputat. de natura Christi p. 9. seqq. Libro suasorio, quod Evangelici se adungere debeant Socinian. p. 36. *Smalcium* ad 2. partem Refutat. *Smigletii* Jesuitæ ad c. XVI. p. 149. ubi ait: *Fatemur una cum Sacris Literis, Christum esse Dei Filium ob modum conceptionis & nativitatis miraculosum, edocti sc. illud ab ipso angelo Dei, Luc. I. 35. conf. p. seq. Crellium* l. I. de Uno Deo Patre Sect. II. c. 31. p. 389. & *Osterodum* Instit. Theol. p. 48. Pollicem illis premunt ex parte *Arminiani*, dum varias causas τῆς υἱο-τητ<sup>ος</sup> Filii Dei comminiscuntur, quod nempe non solum propter æternam generationem Christus dicatur Filius Dei, sed etiam propter alias causas, quarum primam faciunt illam divinam fecundationem seu Spir. S. conceptionem, vide *Apolog.* eorum p. 48. *Episcopium* lib. IV. Inst. Theol. c. XXXIII. p. 335. a. Eandem quoque inter causas filiationis Christi numerant ex Reformatis, *Rudolphus Gvalerus* in c. I. Luc. *Hieron. Zanchius* part. 2. de Trib. Eloh. l. 2. c. 6. & l. 4. c. 1. & *Piscator* in notis ad amab. Collat. Vorstii Sect. CXI. n. 7. p. 191. Verum enim vero non est aut dicitur Christus *Germe* seu *Filius Jehovah* propter divinam illam fecundationem, qua in utero Virginis conceptus est, sive propter supernaturalem ἐπισκίασμον τῆς δυνάμεως ὑψίστης ἢ ἐπιλέουσιν πνεύματος ἁγίου, Luc. I. 35. qua Spiritus S. conceptionis Christi fuit causa *δημιουργική* seu architectonica, quantum ad datam ἀμωσον ἐνέργειαν, sive *immediatam operationem*. Uti enim initio terra nullo profcissa vomere, nullo fecundata femine, solo Dei verbo germinavit herbam virentem Gen. I. II. Sic integerrima Virgo, magna pars miraculi, absque virilis interventu seminis, ἀμωσως operante, Sp. S. in illa in-

conci-

conciendi δυνάμιν, sive ut *Damasceus* loquitur O. F. Lib. III. c. 2. δυνάμιν δευτικὴν τῆς τῷ λόγῳ θεότης, ἀμα κ' γεννητικὴν, virtutem divinitatis Verbi susceptivam simul & generativam, concepit, peperit & germinavit illum, qui est germen gratiæ, frons lætitiæ flos pudicitiae, fructus justitiæ. 2. ἀγιαστικὴ, quoad θαυμασίον ἀγιασμόν, quo massam illam, ex qua corpus filii Dei formatum, sanctificavit & a peccatis purgavit & 2. τελειωτικὴ, quoad ἄρρητον ἔνωσιν, qua divinam humanam naturam in unam Christi naturam univit. Ex verbis sane Angelii ad Mariam Virginem; *Spir. S. superveniet in te; &c.* colligi nequit, quod ἐπιλεύσις Spir. S. causa sit, ob quam Christus sit filius Dei. Particula enim διὸ (διὸ κ' τὸ γινώμενον ἐκ σα' ἁγίου, κληθήσεται υἱὸς θεῶ) est non hoc sensu causalis, quasi indicet causam υἰότης Christi esse ἀμεσον illam ἐνέργειαν a Spir. S. profectam, sed est rationalis, h. e. continet illationem & collectionem non tantum ex verbis proxime antecedentibus, sed ex tota instructione angelica v. 31. 32. & 33. deductam, qua exponitur tota personæ Christi majestas. Neque angelus nude posuit particulam διὸ, sed ei apposuit voculam καὶ, ut indicet, ipsum Dei Filium & non ψιλὸν ἀνθρώπον ex Maria Virgine esse nasciturum; hinc *Epiphanius* hæres. 54. inquit: *Angelus Gabriel non dixit solum, propterea quod gignetur, sed propterea etiam quod gignetur, ut ostenderet, Deum Verbum, qui est ex alto, etiam in utero genitum, quum homo fieret.* Non explicat angelus, cur Filius Dei sit Filius Dei, sed conciliat conceptionem in B. Virgine, & Filiationem illam summam & divinam; quomodo sc. υἰότης ex B. Virgine, & υἰότης ἐξ ὀψίς in uno eodemque subjecto, in uno γεννώμενω ἀγία conveniant. Terminus admirandæ illius ἐπιλεύσεως & ἐπισκισμῶς fuit ἄρρητος ἔνωσις. Et per hanc τὸ γενώμενον ἐκ μαρίας ἁγίου, in societatem κοινωνίαν υἰότητος divini est deductum. Hæc est proxima & adæquata causa, cur Filius Mariæ est Filius altissimi, scil. quia ὁ λόγος isto adumbrationis arca-

no Beat. Virginem ingressus ex ea humanam naturam assumpsit, illamque sibi ἀρεῖπτος, ἀσυχύτως, ἀδιωγέτως καὶ ἀδιάρως univit.

§. XVI. Nec obstar, quod dicitur Matth. I. 18. 20. Maria ἐν γαστρὶ ἐχυσά ἐκ πνεύματ<sup>o</sup> ἁγίου, & quod in eo natum, de Spir. S. esse. Christus enim non de substantia Spir. S. sed de potentia, nec de generatione sed benedictione conceptus est, ut ait Augustinus Serm. VI. de tempore. Et Alcuinus hæc egregie explicat lib. III. de Trinit. c. 3. p. 46. Non, inquit, concedendum est, quicquid de aliqua re nascitur, continuo ejusdem rei esse Filium nuncupandum; ut de multis exemplis hoc proferam: certe qui nascuntur ex aqua & Spir. S. neque filios eos recte quisquam dixerit aquæ, vel Spir. S. sed plane dicuntur Filii Dei Patris & matris Ecclesiæ. Sic ergo de Spir. S. natus est Filius Dei Patris & non Spir. S. Si enim Filius Spir. S. diceretur Christus secundum humanitatem, duo Patres essent in S. Trinitate, & Deus homo factus duos habuisset Patres, unum divinitatis, alterum humanitatis, sed quis hoc dicere audebit? Hæc ille. Damascenus l. c. duobus verbis rem accommodate explicat: a Spir. S. Christum esse conceptum non σπερματικῶς, ἀλλὰ ἀδημιουργικῶς. Divina fecundatio, qua Christus in utero virgineo conceptus est totius sanctissimæ Triados actio indivisa ad extra in Mariam semper virginem. Tota S. S. Trinitas operata est illam germinationem, non producendo ex se aliquod Zemach, sed illud ex Virginitate Mariæ, filiæ Davidis (hæc enim fuit truncus ille succifusus ac fere emortuus Isai, de quo Esa. XI. 1.) substantia productum (quo respectu Christus ut homo Zemach David dicitur) uniendo illi hypostasi, quæ ab omni æternitate fuit רִיחַן דְּמִי Gerimen Domini, sive æterni Dei Patris æternus filius. Sic igitur hæc αἰστος ἐνεργεια, hæc miraculosa σύνθεσις est causa, ut Christus dicatur germen aut filius Dei, erit filius totius SS. Trinitatis, erit filius sui ipsius, erit filius Spiritus S. Ex quo conspicitur, non quamvis extrinsecam opera-

operationem circa filium constituere patrem, sed operationem sub relatione paternitatis, & communicationem filiationis a se originem habentis. Unde respectu solius primæ personæ SS. Triados Christus etiam secundum ipsam naturam, juxta quam est *Zemach Davidis*, est *Zemach Jehovahæ* naturale, idque non solum specificative, sed & reduplicative personaliter. Naturaliter vero est *Zemach Jehovahæ* secundum solam divinam naturam, ut alibi fusius docetur. Adde, quod Christus ita sit *Germen Jehovahæ*, uti est *Jehova*, (quod nomen soli Deo proprium illi passim in Scriptura tribuitur;) jam vero Christus non est *Jehova* respectu miraculosæ conceptionis e Spir. S. Ergo nec *Germen Jehovahæ* respectu Eiusdem. Manet igitur inconcussum, propter solam ac unicam ex substantia Dei Patris ab æterno generationem Christum dici *Germem Jehovahæ*. Hæc enim Generatio divina & æterna est unica ratio filiationis divinæ, quanquam modus eam habendi pro diversitate naturarum sit diversus. Nam uti dictum, Christus secundum utramque naturam est verum & naturale *Germen Jehovahæ*, quanquam secundum divinam naturam naturaliter, secundum humanam naturam personaliter. Fundamentum utrobique est manet æterna ex essentia æterni Patris nobisque incomprehensibilis & ineffabilis generatio.

§. XVII. 2. infert nomen *רמז* filiationem humanam, quia est & dicitur Christus *Zemach Davidis*, sive Davidi excitandum Jer. XXIII. 5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus & suscitabo David germen justum, & regnabit rex & sapiens erit, & faciet iudicium & justitiam in terra, &c. XXXIII. 15. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & confirmabo verbum bonum, quod locutus sum, ad domum Israel & super domum Juda. In diebus illis & in tempore illo germinare faciam David germen justitiæ, & faciet iudicium & justitiam in terra &c. Dom. Daniel. Cramerus Scholæ Propheticæ classe IV. in Explicatione hor. locor. p. 202. Pollicetur, inquit, Deus se Davi-*

Davidis habiturum esse rationem, sed ille jam pridem exspiraverat, & humanis excefferat, ergo de stemmate seu familia Davidis hic agitur. De qua sic loquitur Deus, ut intueatur eam, quasi truncum arboreum, in quo dilitescat adhuc aliquid sepultum, quod suscitandum sit, aut quasi insit in illa stirpe familiae aliquid succi & vigoris, qui in germen popullulare & succrescere neberet. Quod tamen exerere se non posset, nisi Deus ipse id efficeret & causaret. Quod ut certo fiat, Deus ipse se tandem opere suo effecturum esse dicit. Quapropter promittit hic simul conservacionem familiae Davidicae, quae non debebat extingui ante hujus germinis & ortum & adventum, q. d. Esto ut, haec familia Davidica senescat & exarescat, ego tamen potis ero illam excitare, tunc quando nihil minus sperabitur, imo tunc, quando omnes putaverint, actum esse cum familia regia hac, faciam, ut succum recipiat, & ex se novum Germen producat. Hæc ille.

§.XIIII. Respicit quoque ad hanc Messiam ex stirpe Davidis germinationem Esaias Propheta c. XI. v. i. quando inquit; *Et Egredietur virga* (Vatabl. Tum prodibit furculus, Tremell. Piscator, nam prodibit virgula) *de radice Isai* (Vatabl. Arias Mont. de stirpe, Pagninus de semine, Tremell. Piscat. e truncato succiso, Castalio, ex caudice Isai) & *flos de radice ejus* (Vatabl. flos de radicibus ejus, Pagn. Arias Mont. Tremell. Piscat. furculuse radicibus ejus, Castalio, stolo ab ejus radicibus) *ascendet* (Vatabl. nascetur, Pagn. Ar. Mont. crescet. Tremell. Piscat. efflorescet, Castall. pullulabit.) Fatemur quidem, non defuisse ex Judæis, qui Vaticinium hoc (quod B. Lutherus Comm. in h. l. Tom. III. Jenens. una cum sequentibus verbis vocat *breve compendium universæ Theologiæ & operum divinorum*,) de Ezechia, *Fossa ut Zorobabele acceperint*, sed hoc profanum vulgus Rabbiorum ipse refutat *Abarbanel*, oppositis quas vocat *rationibus validis*. Grotium Judaizantem & per חטר vel נצר *Isaianum Ezechiam* intelligentem, solide refellit venerandus Collega noster, Dn. D. Calovius in suis *annotatis Anti-Grotianis ad h. l. De Christo*  
vero

vero intelligendum esse hoc Esaiarum oraculum patet i. ex ipso contextu; Sequens enim personæ descriptio ac regni ejus, beneficiorum quæ præstantia in Ezechiam, aut Josiam minime, ac multo etiam minus in Zorobabelem compedit: Super nullum enim istorum requievit *Spiritus sapientiae & discretionis, Spiritus consilii & roboris, Spiritus cognitionis & timoris Domini*, eminentiori scilicet ratione ( nihil enim hic vulgare prædicatur ) v. 2. Nullus istorum fuit *inspector cordium* v. 3. *percus. sit terram* ( terræ filios ) *virga oris sui* ( sceptro potentis verbi, cujus *divinus* prædicatur Rom. I. 6. Hebr. IV. 12. ) *& interfecit impium spiritu labiorum suorum* v. 4. Nullus istorum fecit *commorari lupos cum agnis*, i. e. ferocissimos & crudelissimos Ecclesiæ persecutores cum mansuetis Christi Nazareni discipulis v. 6. 7. 8. Nullus istorum in signum populorum est elevatus, a gentibus requisitus v. 10. omnes hostes Judæ excidit, hostibusque omnibus est dominatus, v. 13. Ecclesiam denique perfecte liberavit v. 14. seq. Sed hæc omnia solius Messiae propria & de pace *spirituali* in regno ejus intelligenda sunt.

II. Patet idem, tum ex *Chaldaica Paraphrasi*, quæ apud Judæos est autoritas plane æqualis ipsi Scripturæ Hebrææ, teste D. Helvico tractatu de Chaldaicis Bibl. Paraphr. c. IV. p. p. 16. Illa autem ita hunc locum exponit; *Et egredietur Rex de Filiis Isai & CHRISTUS de filiis filiorum ejus ungetur*, tum ex antiquorum Judæorum commentariis. Hieronymi sane tempore omnes Judæos de Messia vaticinium hoc accepisse, Hieronymus ipse autor est; *Totum*, inquit, *hoc caput & sequens de Messia tam Christiani, quam tota circumcisio loqui fatentur, hoc tantum discrimine, quod Judæi de venturo & regno ejus temporali omnia simpliciter ad literam accipiant; Christiani pleraque metaphoricè de spirituali regno ejus, qui jam venit, Christi*

D

Existi



*Existimo, inquit, hanc Prophetiam factam esse de Zorobabele. Orthodoxus contra dicit, ne Judæos quidem sic intellexisse, quia sequitur, & requiescet super eum spiritus Domini, Spiritus sapientiæ &c. quæ omnia nemo unquam nudo homini tribuerit. Adeoque חסר & נצר Isaianus non nisi noster est Jesus Nazarenus, cujus ex trunco & radicibus Isai h. e. e profapia Davidis per conceptionem & nativitatem florida egressio hic describitur. Gemina autem hic, sed parallela habetur propositio: *Virga egredietur ex trunco succiso Isai; Surculus efflorescet e radicibus Isai.* Subjecta παράλληλα sunt חסר & נצר idemque CHRISTUS. Vox חסר non nisi bis reperitur in Scriptura V. T. h. l. & Proverb. XIV. 3. notatque *virgam seu furculum grandiusculum, ex trunco verustiori enatum, ex quo paratur baculis, quo feriuntur servi aut animalia* (Ein Spießruthen) Vide Eminentissimi Theologi, Dn. D. GEIERI, Patroni & in Christo Patris mei ætatem devenerandi eruditum Comment. in Proverb. Salom. in h. l. p. 711. Raschi non male explicat per שבש מרוכה f. *virgam regni*, Ein Königl. her Stab, Batavi expriment; Een Ruyften, een Sprunste, een Roodde, uti & vocem צמח Esa. IV. 1. נצר *furculus tenellus excrescens ex trunco, vulgatus Interpres florem reddit, sed quomodo נצר florem significare possit, nullus fere Pontificiorum explicat, Unus Arias Montanus id per Hypallagen excusat, ita ut flos fumatur pro virgulto. Prædicato hic quoque Parallela sunt, egredietur ex trunco succiso Isai; efflorescet e radicibus Isai. Egressio hoc loco personalis est, & talis, quæ fit per propriissimam generationem, ita ut persona dum egreditur, hoc ipso genita vel concepta ex substantia gignentis concipiatur, inquit D. Varenius Comment. in h. l. p. 572. עץ juxta R. David. Kimchium notat arborem truncatam, cujus inferior pars radicibus salvis paululum super terram eminent, five truncum, amputatis frondibus & ramis supermanentem & sensim arefcen-**

arescentem. Idem per radices intelligitur, sc. *truncus ille, succifus undique frondibus nihil habens, nisi radices, sub terra latentes, per truncum succifum & sensim arescentem, ac radices Isai, intelligitur familia regia Davidis, uti dictum, atque in ea una excellentissima Davidis filia, Virgo* *νεχαριτωμένη καὶ ἐυλογημένη ἐν γυναιξίν* Luc. I. 28. unde hic Nezer immediate effloruit. Ut sensus verborum sit; *Ubi jam stemma Isai ex humilioribus initiis in Davide ad decus Regiæ majestatis evectum, non saltem axiometate regio & omni externo splendore, quem in Davide accepit, erit orbatum, sed etiam ad privatam conditionem, in qua erat ante Davidem regem, denuo redactum, ita ut trunci omni ramorum ac frondium apparatu denuati & spoliati instar se habeat, nec quicquam supersit, præter radices, nihilominus tamen ex illo trunco adeo acciso, & uti videbatur, penitus arido, procedat virga regia & ex illis radicibus efflorescet surculus, super quem requiescet Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ &c.* Elegantissime Poetarum Christianorum princeps, Prudentius in hymno de Epiphania, *jam flos subit Davidicus Radice Jesse editus, sceptrique per virgam vivens rerum cacumen occupat.* Obscurus erat Isai, Davidis pater, & quasi unus e populari turba, unde Davidem contemptim appellabant *filium Isai*, I. Sam. XX. 27. & I. Reg. XII. 16. Isai itaque hic facit mentionem divinus vates, ut significet, Christum tunc nasciturum, quando regia illa familia propemodum defecisset, & ad pristinam ignobilitatem relapsa esset.

§. XIX. Ad vilem ortum & nativitatem infernatem Messiaë referunt quoque plerique Christiani Interpretes tam veteres quam recentiores (quanquam aliqui non tam ad nativitatem & infantiam Christi, quam ad totum humilitatis statum pertinere arbitrentur, verba Esaiaë LIII. 2. *Et descendet sicut virgulzatum coram eo, & sicut radix de terra siccante.* Nec dubium est, quin idem hic sensus sit, qui est loci jam explicati. Quod enim hic dicitur *יִנֵּק*, idc. XI. 1. dicitur *בְּצַר*,

D 2

quod

quod hoc loco est שרש, id c. XI. i. est חטר, quod hic vocatur terra siccitatis vel sitiens, id Esa. XI. i. vocatur lignum succifum & arescens. Est autem יונק proprie *lactens*, unde Aquila transfert ὡς γάλακτος, *ut is qui lactatur*, per metaphoram vero sumitur pro furculo, aut tenero ramo, qui fugit arboris succum. Hinc Chaldaeus Paraphrastes apposite vocem expressit per לבלבין *Germina, surculi, propagines*. Radix est לבלב *ex corde seu medulla arboris pullulare, germinare*, videatur Buxtorffii Jun. Lexic. Chaldaic. & Syriac. pag. 274. & D. Wellerus ὁ μακαρίτης Comm. in h. l. p. 28. & 29. Verbum עלה ascendit, de terra nascentibus usurpatur Deut. XXIX. 22. Prov. XXIV. 31. Es. XXXII. Hof. X. 8. unde & a Chaldaeo redditur per *succrescet*. Plenum verborum sensum malo verbis jam dicti B. D. Welleri, quam meis proponere, qui hic est; *Etenim non instar cedri angustus erit servus meus, sed instar virgulti tenuissimi, quod ex arbore succrescens omnibus eradicandum mature videtur, ne succum arboris attrahens rotam arborem pessundet, surget, & sicut radix e terra deserta & siticulosa oriri nequit, vel si quæ orta est, ad maturitatem justam pervenire nequit, alimentum enim necessarium deficit; sic & servus meus, ex ejusmodi orietur terra, unde naturaliter fructus sperandus nullus, quin adeo tabernaculum Davidis erit collapsum, ut nemo ipsum ad aliquam maturitatem perventurum aestimaturus sit.*


§. XX. Huc pertinent omnes *Germinis Davidis*, five *Messiae* ex Maria Virgine Davidis filia prognati descriptiones, quæ rem eandem pulchra quadam varietate dilucidant, ut quando vocatur *Semen mulieris* Gen. III. 15. *Semen Abrabæ* c. XXII. 18. Gal. III. Hebr. II. 16. *Isaaci* Gen. XXVI. 4. *Jacobi* c. XXVIII. 14. *Davidis* 2. Sam. VII. 12. *Filius hominis* locis præter propter octoginta quinque N. T. *Filius Abrabæ & Davidis* Matth. I. 1. *Filius virginis* Esa. VII. 14. *Fructus ventris Mariæ*. Luc. I. 42. *Fructus terræ* Esa. IV. 1. *Genus & radix David* Apocal. V.

cal. V. §. XXII. 16. *Filius carnis Adæ, non tamen filius prævaricationis Adæ*, a Bernharðo Serm. 2. Pentecost.


§. XXI. Ex hætenus explicato svavissimo Messiaë titulo ac nomine sequentia colligimus *περίσματα* sive confectaria. I. Si Messias est *γέρμα* seu *Germen*, Ergo aliunde originem habet. Nam quodcunque Germen propullulat & efflorescit, id e sua stirpe, radice aut semine præcedaneo propullulet & efflorescat necesse est. II. Si Messias est Germen Jehovæ, scil. Patris, Ergo non est ipse Jehova Pater, sed ab eo personaliter distinctus, sive alius a Patre, ob *τρόπον ὑπάρξεως*. III. Si est Germen Jehovæ, Ergo essentiam a Patre communicatam habet, estque verus & naturalis Dei filius, Patri *ὁμοσιος*, sive unius ejusdemque cum Patre essentiaë ac naturaë, *Ὡς ἐκ φωτός, θεὸς ἀληθινὸς ἐκ θεοῦ ἀληθινῆς. Lumen de Lumine, Deus verus de Deo vero*, ut habet Concil. Nicæn. apud Athanas. t. 2. p. 49. IV. Sic Messias est Germen Jehovæ, Ergo potius incarnari vel germen Davidis fieri eum decebat, quam Deum Patrem, aut Spiritum sanctum. Quanquam enim sanctissimum hoc & ipsis Angelis venerabile mysterium ratio humana stupefcere, fides Christiana humiliter adorare, non scrutari debet, non tamen improbables plane rationes a Veteribus explicari solent, cur Filius Dei, secunda S. S. Trinitatis persona potius, quam aliarum hypostaseon una, Pater vel Spiritus Sanctus humanam sibi naturam univertit. Ita sc. conveniens fuisse arbitrantur, ut qui Filius Dei erat, a Patre ante secula genitus, etiam filius hominis esset, ex substantia matris in tempore natus, ne per *ἐνανθρώπησιν* vel *ἐνανθρωπῶσιν*, personarum divinarum mutaretur denominatio, vel induceretur confusio, quod accidisset, si aut Pater, aut Spiritus Sanctus per dispensationem carnis Filii nomen sibi vendicasset. *Dei incarnatio & humanæ naturæ assumptio* (inquit *Raymundus Martini* in Pugione Fidei part. III. Distinct. III. c. IV. §. 24. p. 554.) *conveniens fuit personæ Filii Dei,*

non Patris, nec Spiritus Sancti, ut non esset filius Adæ, Abrabæ  
 atque Davidis in humanitate, nisi illa persona, quæ erat Filius  
 in Deitate. Et Augustinus ait Eccles. dogm. c. 2. Non Pater  
 assumpsit carnem, nec Spiritus Sanctus, sed Filius tantum, ut  
 qui erat in Divinitate Dei Filius, ipse fieret in humanitate homi-  
 nis filius, ne filii nomen ad alterum transfiret, qui non esset æter-  
 na natiuitate Filius. V. Si Messias est Germen Davidis, Er-  
 go est verus homo, verus & naturalis hominis filius, homo  
 de homine, virgula de trunco succiso Isai & surculus de ra-  
 dicibus ejus, Esa. XI. 1. Ergo humana natura, quam in ple-  
 nitudine temporis ex castissimis visceribus illibatæ Matris  
 virtute Spiritus Sanctus assumpsit nobis est ὁμοῖος. Ger-  
 men enim ex feminis aut radicis, fructus ex arboris substan-  
 tia enascitur. VI. Si est Germe Jehovæ & Davidis simul, Er-  
 go est Deus & homo in unitate personæ. *Vir Jehova* Gen.  
 IV. 1. *Homo Dominus Deus* 2. Sam. VII. 19. & ἐμφατικῶς ἰσως  
 האדם הכעלה יהוה אללה *Homo ille excellentiæ*, (i. e. excel-  
 lens, excelsus) *Dominus Deus* 1. Paral. XVII. 17. Deus de Pa-  
 tre, homo de matre. Unum idemque Germen, unus idem-  
 que Filius, duabus subsistens naturis, in unitate ὁμοῖος.  
 Utraque itaque JESU CHRISTI natura, utraque; Ejus fi-  
 liatio voce *Germinis* indicatur, divina & humana, quarum  
 illa fuit sine initio, hæc sine exemplo; Illa sine matre, hæc sine  
 Patre; illa incogitabilis, hæc ineffabilis, ita ex Ma-  
 ximi Taurinensis Epistol. 57. libuit  
 concludere.

**JESU CHRISTO cum PATRE & SPIRITU**  
*S. Sempiterna Gloria.*







the scale towards document

dem per radices intelligitur, sc. *truncus ille, frondibus nihil habens*, nisi radices, sub terra unicum succifum & sensim arefcentem, ac intelligitur familia regia Davidis, uti dictum, at excellentissima *Davidis filia*, Virgo *νεχαριτω-νη εν γουαζιω* Luc. I. 28. unde hic Nezer im- Ut sensus verborum fit; *Ubi jam stemma bus initiis in Davide ad decus Regiæ majestatis tem axiometate regio & omni externo splendore, accepit, erit orbatum, sed etiam ad privatam qua erat ante Davidem regem, denuo redactum, ni ramorum ac frondium apparatu denuati & habeat, nec quicquam superfit, præter radices, en ex illo trunco adeo acciso, & uti videbatur, ocedat virga regia & ex illis radicibus efflorescet quem requiescet Spiritus Domini, Spiritus sapi- gantissime Poetarum Christianorum prin- in hymno de Epiphania, jam flos subit Da- esse editus, sceptrique per virgam virens rerum . Obscurus erat *Isai*, Davidis pater, & quasi i turba, unde Davidem contemptim appel- li, i. Sam. XX. 27. & i. Reg. XII. 16. Isai itaque onem divinus vates, ut significet, Christum n, quando regia illa familia propemodum pristinam ignobilitatem relapsa esset. ilem ortum & nativitatem infernatem Mes- ioque plerique Christiani Interpretes tam recentiores (quanquam aliqui non tam ad infantiam Christi, quam ad totum humilita- nere arbitrentur, verba *Esaia* LIII. 2. *Et de- gultum coram eo, & sicut radix de terra sitiente.* t, quin idem hic sensus sit, qui est loci jam id enim hic dicitur *ינק*, id c. XI. i. dicitur *נצר*,  
D 2 quod*

5.  
52/4  
5